

*30. Instrumentum venditionis di
Roberto de Lacupensuli, notaio,
in favore di Canio de Carruba*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*30. Instrumentum venditionis di
Roberto de Lacupensuli, notaio,
in favore di Canio de Carruba*

1327-05-25

Anno dominice incarnationis millesimo tricentesimo vicesimo septimo, regnante domino nostro Roberto Dei gratia gloriosissimo rege Hierusalem et Sicilie, ducatus Apulie et principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedimontis comite, regnorum vero eius anno nonodecimo feliciter amen, die vicesimo quinto maii, decime inditionis, apud Potentiam.

Nos Matheus de Madio annalis iudex civitatis Potentie, Nicolaus de Soldano puplicus ubilibet per regnum Sicilie regia autoritate notarius et testes subscripti de eadem terra ad hoc specialiter rogati et vocati, presenti scripto puplico fatemur quod in nostri presentia contitutus notarius Robertus de Lacopensuli vendidit et per fustem <sic> traditionem assignavit, iure proprio et inperpetuum, Canioni de Carruba ibidem presenti et pro se et suis heredibus recipienti et ementi, subscriptas petias terrarum subscriptis finibus limitatas, videlicet tres petias terrarum sicut aqua decurrit versus vallonem Male Mulieris, videlicet: ischam Pantani et quamdam aliam ischam Malemulieris ac petiam unam terre que dicitur Vallis de Piro, contiguas // (c. 263r) intus, sitas in tenimento Potentie in contrata que dicitur Mala Mulier, quarum fines hos fore assignavit: a primo latere est flumen Grifollete; a secundo latere tenet idem venditor; a tertio latere tenet Nicolaus de Trachedo; a quarto latere tenet ecclesia Santi Michaelis et si qui alii sunt confines. Item quamdam aliam petiam terre que dicitur lo Cavernale, que est citra vallonem ipsius contrate Male Mulieris, cuius hos dixit fore confines: a primo latere tenet idem Canio emptor mediante predicto vallone; a secundo tenet idem venditor et si qui alii sunt confines, ad habendum, tenendum, possidendum, vendendum,

donandum, permutandum, nec non et quocumque modo voluerint alienandum prescriptas petias terrarum cum omnibus et singulis que infra predittos continentur confines vel alios, si qui forent, accessibus et regressibus eius usque ad viam publicam, omnique iure et attione, usu seu requisitione sibi ex eis aut pro eis vel ipsis terris modo aliquo pertinentibus; pro quibus dittus notarius Robertus confexus et contentus fuit se ab ipso Canione pretii nomine presentialiter et integraliter recepissee et habuisse in carlenis argenti, sexaginta per unciam computatis, uncias quatuor et tarenos quindecim ponderis generalis, totum videlicet pretium venditionis ipsius, renunciando exceptioni non solute, non tradite et non assignate sibi preditte pecunie, non ponderati seu eletti argenti, legi resissorie que subvenit deceptis ultra dimidiam // (c. 263v) iusti pretii et omni alii legum et iuris auxilio <quo vel> quibus dicta posset venditio vel huius scripti tenor in aliquo minui vel infringi, promittens dictus notarius Robertus per se et suos heredes dicto emptori pro se et suis heredibus stipulanti litem vel controversiam ei vel suis heredibus de dictis terris ullo unquam tempore non inferre nec inferenti consentire, sed ipsas terras tam in proprietate quam in possessione ei et suis heredibus ab omni homine et universitate legitime defendere, autorizare et disbrigare, preditta venditione et omnia et singula subscripta <sic> firma et rata habere perpetuo et tenere et numquam contrafacere vel venire, per se vel alium, aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub pena unciarum auri quatuor, medietate reginali curie et altera medietate dicto emptori vel suis heredibus persolvenda, me preditto notario puplico pro parte eiusdem curie et dicto emptori pro se et suis heredibus legitime stipulantibus penam

ipsam. Qua soluta vel non, preditta firma perdurent,
iurans nihilominus dittus notarius Robertus ad santa
Dei evangelia tatta corporaliter predittam venditionem et
omnia et singula subscripta firma omni tempore habere
et tenere et numquam contrafacere vel venire per se vel
alium, aliqua ratione vel causa, de iure vel de fatto.

1

2

Et taliter // (c. 264r) ego idem Nicolaus de Caldano
publicus ut supra notarius hoc instrumentum scripsi qui
predittis interfui et meo solito signo signavi. † Ego
Matheus de Madio civitatis Potentie iudex qui supra †
Ego Coluchius Carrachia iuvenis interfui † Ego Matheus
de Plubella interfui † Ego Iacobus de Archipresbitero
testis sum † Ego Gerardus de iudice Roberto interfui

3

4

B inter se
B Caxenale
B Soldano
B Colucius